

DE SITV ET REDITV.

petierit de lætitijs & ludis, & causis mulierum, perficiet & habebit.

Venus in reuolutione ad locum Solis radicis conuersa, si fuerit iuncta cum eo, & ipsa potestatem habuerit, ac testimonium in anno, & ambo fuerint in aliquo angulo, natus patietur grauamina, & labores, occultabit se à rege. Et si ab angulis remoti fuerint, accident ei infirmitates calidæ. Et si Sol ibi testimonium habuerit uice Veneris, crescet in ualore ac laude, habebit dominium, faciet itinera, capietur amore.

Venus reuersa in reuolutione ad locum suum in radice, si habuerit posse & dominium in anno, ascendet in precium & ualorem, perueniet ad dominium, & renuantur res, quas significauit in radice, crescet in societate, nutritione, uestimentis & opibus.

Si uenerit Venus in reuolutione ad locum Mercurij radicis, habens posse & testimonium in anno, potentiam habebit, ac gloriam in loquendo & ratiocinando, ac doctrina. Et si testimonium fuerit Veneris, associabitur cantoribus, ioculatoribus. Et si ambo infortunati fuerint, uel unus eorum, accident ei grauamina & labores causis & rationibus istis.

Cum accesserit Venus in reuolutione ad locum Lunæ radicis, & fuerit Luna ab infortunis salua, & una eam habuerit potestatem, ac dominium in anno, prosperabitur status & negocium eius, & societas suæ, uerfabitur cum Regibus, fratribus habebit si uixerint eius parentes, alioquin lucrabitur amicum qui sibi erit tanquam frater.

De reditu Mercurij.



VM Mercurius in reuolutione peruerterit ad locum in quo fuerit Saturnus in radice, & habuerit Mercurius testimonium in anno, fueritque ab infortunis saluus, natus faciet itinera in quibus crescat eius bonum & status, forte habebit filium illo anno. Et si Saturnus testimonium habuerit uice Mercurij, destruentur eius filii, ipse infirmabitur, eius consilia & cogitationes inuoluentur, damnabitur lex eius, omniflum bonum auersabitur.

Si uenerit Mercurius in reuolutione ad locum Iouis radicis, & si unus eorum habuerit testimonium in anno, dignitatem & honorem habebit, natus ab alio se meliori, augebitur doctrina & sensus eius, uxorem ducet, si fuerit ad hoc aptus. Et si testimonium habuerit, & fuerit iufortunatus, adducet damnum de genere significatis ipsius infortunij, & inimici aduersabuntur ei.

Si uenerit Mercurius in reuolutione ad locum Martis radicis, si ambo habuerint testimonium in anno, natus addet mendacia & falsitates, dicet res quæ nunquam fuerunt, nec acciderunt. Et si retrogradus fuerit unus eorum, faciet furta. Et si testimonium fuerit Mercurij solius, significat damnum in statu eius, & quod accident infirmitates ei ex calore & sanguine. Et si per Martem damnatus fuerit in reuolutione, erit in metu moriendi illo anno. Et si testimonium fuerit Martis et intrante sub radios Solis, timebit ne interficiatur anno illo, uel expellatur de terra sua,

Si uenerit Mercurius in reuolutione ad locum Solis radicis iunctus cum eo, & Mercurius habuerit testimonium in anno, & fuerint ambo in aliquo angulorum in bono statu, habebit honorem & dignitatem regis, maxime si fuerint in medio cœli. Et si fuerint remoti ab angulis hæc significationes, erunt minores. Et si testimonium